

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput LXIV. Continens Historiam De transfretatione Christi In Terram
Gergesenorum, Matth. 8. Marc. 4. Luc. 8.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

Sis licet alter Cyrus vel Alexander, aut totius mundi Dominus: tamen cum ad mortem veneris, Iro atque Lazaro mendico pauperior eris. Hic enim verum est illud dictum: Mors sceptrum lignibus aequat. In morte deserunt nos opes, amici, famuli, omnia denique humana. Sic anima, quae per peccatum spiritualiter moritur, amittit DEUM, summum bonum, iacturam facit omnium suorum bonorum operum, omnium iustitiarum, quas fecerat, non recordabuntur, Ezech. 18. v. 24. amittit praemia, quae DEUS bene operantibus promittit, amittit denique vitam aeternam. Quibus bonis omnibus homo per spirituales mortem spoliatus, nudus & inops relinquitur in omnem aeternitatem. Hujus rei illustre exemplum nobis spectandum praebet Christus, Luc. 16. vers. 24. in divite epulone. Quid pro sunt ipsi splendidae opes, quas in hoc mundo habuerat, cum jam in-

omnem aeternitatem ne unam quidem guttam habere queat, quae linguam ex flamma arentem refrigeret? Quid verò hac nuditate potest esse miserius? Quid calamitosius? Unde rectè Augustinus dixit: Luges corpus, à quo anima recessit: & non luges animam, à qua recessit Deus? Nos verò harum consideratione adducamur ad peccati detestationem, siquidem illud solum hanc animae mortem superinducit. Sin verò videamus quempiam hac morte perire, non relinquamus eum inter sui similes mortuos, à quibus in infernum sepeliatur. Sed potius properemus cum eo ad Christum, qui est Dominus vitae & mortis. Is Lazarum defunctum quadriduanum in vitam revocavit, Iohan. 2. v. 44. Idem etiam nos à peccati morte liberabit, qui pro nobis mortem subire non erubuit. Sicuti ea de re alibi disserendi copia dabitur.

CAPUT LXIV.

CONTINENS HISTORIAM DE TRANSFRETATIONE
CHRISTI IN TERRAM GERGESENORUM, MATTH. 8.

MARC. 4. LUC. 8.

RATIO ORDINIS.

Hic sese offert non parva difficultas, in sequentibus historiis suo vero loco disponendis: & scrupuli obijciuntur non contemnendi, ut non statim appareat, quis sit verus *εἰγμός ἀνορθίας*. Nam Matthaeus c. 8. & 9. Marcus c. 4. & 5. Lucas c. 8. eodem quidem consecutionis ordine describunt tres historias. 1. Transfretationem & magnum illum motum in mari. 2. Expulsionem daemionum, porcorum suffocationem in mari. 3. Suscitationem mortuae filiae primatis, & interim sanatae Haemorrhousam. Sed ad descriptionem illarum historiarum Matthaeus mox accedit ab illa vespera, quando Dominus sanavit socrum Petri & alios infirmos Capernaumi: quod factum est anno primo ministerii Christi. Atque sic praemittit has historias longe ante legationem Baptistae, sanationem Daemioniaci, atque parabolas à Domino turbae propositas. Marcus verò & Lucas tum demum ad descriptionem harum historiarum accedunt, quando Dominus legatus Baptistae respondit, populo de Johanne dixit, Daemioniacum sanavit, atque multa per parabolas locutus est: quae omnia in secundo anno ministerii Christi acciderunt. Atque hinc Andreas Osiander, vir alioquin acuti ingenii & magna eruditionis (& qui secuti eum sunt, Crellius, Codomanus, atque alii) ut tueatur illud suum *ἀόριστον*, nullum Evangelistarum quicquam extra ordinem narrasse, & ne cogatur quicquam transponere, istas historias facit diversas, quae distinctis locis ac temporibus acciderint, easque in Harmonia sua ita ordinat, ut illae, quas Matthaeus descripsit, praecedant, & demum longo intervallo subsequantur Marci & Lucae descriptiones. Et sanè diversitatem earum multis, iisque argute conquisitis rationibus, probare nititur, sicuti videre est lib. 1. Harm. ipsius cap. 39.

Harm. Tom. I.

Ante omnia itaque necesse est, ut diligenter expendatur, utrum eadem sint, an verò diversa apud diversos Evangelistas. Si diversa sunt, necesse erit ordinem ab Osiandro monstratum sequi. Sin fuerint eadem, tum ex antecedentibus, tum ex consequentibus patebit, hic proprie ipsis suum locum in Harmonia attribui posse, & Matthaeum per anticipationem eas recitasse. Nos tuebimur illam sententiam, quae easdem esse censet. Et quidem in sequentibus sigillatim plura videbimus: nunc tantum generales quasdam monitiones praemittimus, unde appareat esse easdem.

I. In genere, hasce historias apud omnes tres Evangelistas pro iisdem habemus. 1. Quia tota erudita antiquitas iudicavit, esse prorsus easdem. Ab ejus itaque iudicio communi, citra graves causas recedere temerarium & arrogans esse videtur. 2. Retinenda est generalis illa regula, quae etiam capit. 5. Proleg. posita est, ut ne praeter necessitatem historiae distinguantur vel divellantur, ubi praecipuae circumstantiae conveniunt, & easdem esse ostendunt. Quando enim diversa sunt loca, tempora, personae, occasiones & fines, tunc demum propter similitudinem ea, quae diversis temporibus repetita sunt, non sunt confundenda, sed distinguenda. 3. Omnes autem circumstantiae, tam manifestè testantur, hasce historias, apud omnes tres Evangelistas esse easdem, ut si quis eas diversas facere velit, ipsa evidentia reclamet, & in aures atque animum insonet, easdem esse. Quanquam enim nemine dubitante Dominus plurima fecit, quae scripta non sunt: multa item similia fecit iis, quae scripta sunt: & apparet etiam apud unum Evangelistam nonnulla recitari similia, ut quae vere bis dicta factave sint: tamen non facile cuiquam sano credibile videbitur fieri posse, ut plurimae res diversissimae eodem ordine, & illo quidem neque interrupto, neque interrupto, sed continuo, tanta constan-

Mmm 4

stan-

stantia, tantaque evidentia & præcipuarum omnium circumstantiarum similitudine, vel potius identitate, sese mutuo consequantur aut consecuta sint, ut singulæ bis factæ esse statuatur, quemadmodum hic duodecim ista diversissima & accidisse, & continuo rerum gestarum ordine, nec ullibi duorum vel trium, aut plurium ex iis inter se permixta, confusa, aut inversa serie, sese mutuo consecuta esse dicuntur. 1. Transfretatio. 2. Motus maris non parvus. 3. Somnus Christi profundus. 4. Facta maris tranquillitas, mandante Domino ad preces discipulorum. 5. Trans mare, expulsio Dæmonum. 6. Suffocatio porcorum proximè pascentium. 7. Fuga pastorum. 8. Obtestationes Dæmonum. 9. Christi reditus, rursus mari trajecto. 10. Preces Jairi. 11. Intermedia sanatio hæmorrhosæ. Et demum 12. Suscitatio puellæ.

Si itaque maxime statuatur hæc historiarum bis factas esse: tamen vix credi potest, singula bis eundem hunc suum ordinem tenuisse, arque sic omnia eodem ordine postea denuo facta esse, quo prius facta fuerant. Sed potius existimabitur, eorum, unum atque alterum alibi, & alio eorum ordine, sicque vel ante vel post, vel certe alio loco vel tempore accidisse. Cum verò omnes tres Evangelistæ ista tot diversissima uno ore sic retinent, ut appareat uno eodemque rerum gestarum ordine & consecutione facta esse, nemo sanus negabit, esse etiam omnia eadem. Hæc ratio pium & attentum lectorem non parum movebit, ut certissimè credat, hæc historiarum easdem esse. Atque hæc generaliter monuisse sufficere possunt. Quæ autem ex circumstantiis colliguntur, tanquam rationes probandæ diversitatis, illa in singulis historiis commodius excutiuntur.

II. Quod ergo primam historiam attinet de transfretatione, statuit quidem Andreas Osiander eam, quæ apud Matthæum extat, diversam esse ab illa, quam Marcus & Lucas describunt, propter sequentes rationes. 1. Quia apud Matthæum certum sit unde solverint: illud autem apud Marcum & Lucam non exprimitur. 2. Quia Matthæus suam historiam connectat cum illis miraculis, quæ primo anno prædicationis Christi facta sunt. Marcus verò & Lucas illam inter ea recensent, quæ secundo anno contigerunt. 3. Quia in Matthæo tantum unius navis mentio fiat: apud reliquos plurimum. 4. Quia apud Matthæum discipuli lenius, apud Marcum & Lucam severius objurgantur. 5. Quia apud Matthæum post trajectum in fines Gergesenorum venisse dicuntur; apud reliquos in regionem Gadarenorum. Sed hæc rationes omnes, excepta ultima, nequaquam sunt ejusmodi, ut ostendant aut convincant aliquam diversitatem, & pro una constituant duas distinctas transfretationes. Nam 1. non tantum ex Matthæo constat unde JESUS solverit: sed idem etiam ex reliquis colligi potest. Etenim Marc. 3. vers. 10. dicitur, *Jesum venisse domum*. Atqui certum est ipsum nusquam habuisse domum conductam, præterquam Capernaumi, ubi civis erat. Domi itaque sanavit Dæmoniacum: domi eum, quæ siverunt cognatiprehendere: domo egressus docuit ad mare per parabolas: à mari domum reversus discipulis parabolas explicavit: & demum domo denuo egressus ad mare solvit. Qua-

propter patet, Matthæum & Marcum inter se, quoad locum ex quo navigatio facta est, consentire. Et ut solus Matthæus locum, unde Dominus solverit, expressisset, non etiam Marcus & Lucas illud indicant: tamen, consentientibus omnium sanorum testimonio, ex eo non consequetur, esse eas duas diversas historias, cum luce meridiana clarius sit in historiis, quas Evangelistæ simul describunt, alium plures alium pauciores circumstantias annotare, ut nihilominus maneat eadem historia. 2. Secunda ratio quoque, nihil solidi habet. Nam *ἀντιπέρα* illud probari non potest, quod Evangelistis hoc propositum fuerit, ut non nisi eo ordine & tempore recitent omnia, quod acciderunt. Nam hæc ad deo manifeste monstratum est, eos multa recitare loco & tempore alieno, ut nemo inficias ire queat. Hoc cum certum sit, concidit secunda ratiocinatio, & apparet Matthæum hæc historiarum per anticipationem descripsisse. 3. Quod tertiam rationem attinet, manifestum est ex inspectione textus, etiam Lucam non plurimum, sed tantum unius navis meminisse: nemo tamen propterea dicet, narrationem Lucæ esse diversam à Marci. Nec sequitur: apud hunc Evangelistam plures recitantur circumstantiæ, quam apud istum: Ergo sunt diversæ historiae. Nec Matthæus sic meminit unius navis, ut dicat non nisi unam solam fuisse, aut neget fuisse plures. Imo historiarum hanc ita concludit, ut non obscure doceat plura navigia affuisse. Dicit enim *homines multos esse, quod JESUS mari & ventis imperaret, & hi obediunt*. Sed quinam fuere isti homines? Non certe illi, quos aliàs semper discipulorum nomine insignit, nec illi, qui in littore stabant. Nimis enim procul à terra abierant: sed qui in aliis navigiis una navigabant, & commune periculum sustinebant. Nihil ergo ista ratio probat. 4. Quantum valeat quarta ratio, docet ipsa lectio. Dominus enim apud omnes tres Evangelistas objurgavit timiditatem & incredulitatem discipulorum, nec lenius apud hunc, nec severius apud illum, sed apud omnes æque graviter & æque placide. Et Augustinus ostendit, omnia verba dicta esse à Domino, quæ diversa diversi annotarunt. 5. Sola quinta ratio diversitatem probare videbitur, si certo constabit, regionem Gergesenorum non esse eandem, quæ Gadarenorum: aut non potuisse eam, qui venerit in fines Gergesenorum, dici simul etiam attingisse fines Gadarenorum. Osiander quidem solite conatur evincere, fuisse duas diversas regiones, unam Gergesenorum, supra lacum Genezaret ad ripam Jordanis Orientalem, versus Septentrionem: alteram Gadarenorum, infra eundem locum, versus Meridiem. Sic autem sudat, ut ipse sibi videatur istud non liquido demonstrasse, nec audeat tuto istis suis disceptationibus niti. Et tamen ex illis tam solite comportatis ratiocinationibus, nihil plus efficitur, quam si vel maximè sint duæ diversæ regiones, tamen terminis suis ita fuisse conjunctas, ut in utriusque regionis conjunctis finibus istud de dæmoniaci accideret potuerit. In primis autem hoc notetur. Lucas c. 8. v. 26. testatur, *Gadarenorum regionem fuisse ἀντιπέρα τῆς Γαλιλαίας*, oppositam vel è regione Galilææ.

Unde apparet Galilæam & Gadarenam sub eodem parallelo sitas fuisse: illam quidem cis, hanc vero

verò

verò trans Jordanem. Talem enim situm Geographi solent oppositum, sive è regione situm, appellare. At Benedictus Arias Montanus, in magno illo regionum Bibliorum apparatu, in tabella chorographica, quam tractatui Chanaan, sive de duodecim gentibus, adjecit, & in ea descripsit terram Chanaan, qualis illa fuerit tempore Abraham, & antequam Israelitæ eam occuparent, in illum ipsum tractum reponit veteres populos Gergesæos, à quibus regio ista nomen hoc sortita est, & in eum usque diem quoque retinuit. Ibidem locorum postea Josephus, Hieronymus, Ptolomæus & alii reponunt Gadaram urbem insignem & munitam, quæ dubio procul tanquam urbs primaria, toti regioni, quæ prius erat Gergesenorum, novum nomen indidit, ut etiam appellaretur regio Gadarenorum. Itaque, dico diversa nomina, unum vetustum, alterum novum, unius regionis, non efficient, ut propterea etiam ex una actione duæ diversæ conficiantur. Sed tantum hoc sequetur, quod Matthæus quidem Hebraicè scribens vetusta appellatione usus sit: reliqui duo Græcè scribentes, retinuerint modernam & usitatioris appellationem. Consideretur consimile exemplum, quod in Evangelistis occurrit, Matth. 15. v. ult. cum Dominus septem panibus fatiasset quatuor hominum millia, dicitur consensa navi venisse in ὄρηα, fines Magedam sive Magdala. Marcus autem cap. 8. v. 10. dicit ipsum venisse in μέρος partes Dalmanutha, neque tamen isti sunt duo tra-

jectus, sed unus: neque duæ regiones, sed una, vel ipso Osiandro teste. Itaque satis luculenter patet, duas diversas appellationes non facere duas diversas regiones. Vetus interpres hæcè difficultates omnes eo devitare voluit, quod tam in Matthæo, quam in Marco & Luca posuit Gergesenorum nomen, loco Gergesenorum & Gadarenorum. Illud verò inde factum videtur, quia ex D. Hieronymo in Abdiam patet, illam regionem & urbem tum temporis Gerasam dictam, atque sic nomen istud notius & communius fuisse, quam reliqua. Quin & illud non omittendum videtur, Christianum Adrichomium in teatro terræ sanctæ, quod diligentissime tam ex veterum, quam ex neotericorum descriptionibus collegit, in tabula dimidia tribus Manasses, duas ponere urbes Gergasam & Gadaram, ad duas horas ab invicem distitas, & cuius urbi tribuitur sua χώρα, regio seu territorium. Potest itaque in utriusque finibus, & quidem eodem tempore, per commode accidisse, quod de Dæmoniis audiemus. Sed nos illud tenebimus, esse unam eademque regionem, quæ duobus nominibus appellatur. Sicut etiam Syrus in omnibus tribus Evangelistis unica utitur appellatione, & vocat eam regionem Γαδάρων, Godaræorum. Ac proinde concludimus, superioribus illis quinque rationibus non probari posse, duos esse divisos Christi trajectus. Cum verò sit una eademque transfretatio, sequitur porro ex superioribus illis, hunc locum ipsi assignandum esse in harmonia Evangelica.

HISTORIA TRAJECTUS CHRISTI, EX GALILÆA IN REGIONEM GERGESENORUM. MATTH. 8.

- 23. καὶ ἐμβάντι αὐτῶν εἰς τὸ πλοῖον, ἠκολούθησαν αὐτῶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ.
- 24. καὶ ἰδὲ σεισμὸς μέγας ἐγένετο ἐν τῇ θαλάσῃ, ὥστε τὸ πλοῖον καλύπτεσθαι ὑπὸ τῶν κυμάτων, αὐτὸς δὲ ἐκάθευδε.
- 25. καὶ προσελθόντες οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, ἤγειραν αὐτὸν λέγοντες, κύριε, σώσον ἡμᾶς, ὀπολλύμεθα.
- 26. καὶ λέγει αὐτοῖς, τί θεοὶ ἐστε, ὄλιγοι σὺν; τότε ἐγειρεῖς, ἐπέτιμησε τοῖς ἀνεμοῖς καὶ τῇ θαλάσῃ, καὶ ἐγένετο γαλήνη μεγάλη.
- 27. οἱ δὲ ἄνθρωποι ἐθαύμασαν, λέγοντες πῶς ἔστιν ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, οἱ δὲ οἱ ἀνεμοὶ καὶ ἡ θάλασσα ὑπακούουσιν αὐτῷ.

- 23. Et cum esset ingressus navim, secuti sunt eum discipuli sui.
- 24. Et ecce motus magnus factus est in mari, adeo ut navis operiretur à fluctibus, ipse verò dormiebat.
- 25. Et accedentes discipuli, excitaverunt illum, dicentes: Domine, serva nos, perimus.
- 26. Et dicit illis: quid timidi estis, exigua præditi fiducia? Tunc excitans increpavit ventos & mare, & facta est tranquillitas magna.
- 27. Homines verò admirabantur, dicentes, qualis est hic, quia venti quocumque & mare obediunt illi?

MARC. 4.

- 36. καὶ ἀφέντες τὸ ὄχλον, ἠσπόμενοι εἰσῆλθον εἰς τὸ πλοῖον, καὶ ἄλλα τῶν πλοίων εἰσῆλθον αὐτῶ.
- 37. καὶ γινέσθαι λαίλαψαν ἀνέμου μεγάλην, καὶ κύματος ἐπιβαλόντος εἰς τὸ πλοῖον, ὥστε αὐτὸ ἤδη γεμίσει εὐδῶ.
- 38. καὶ ἰὼν αὐτὸς ἐπὶ τῇ πρύμνῃ ἐπὶ τὸ προσκεφάλαιον καθεῖσθαι, καὶ διεγείρεσθαι αὐτὸν, καὶ λέγειν αὐτῶ, ὀρθόκαλε, ἔμενοι σοὶ, οὐκ ὀπολλύμεθα;
- 39. καὶ διεγερθεὶς ἐπέτιμησε τῷ ἀνέμῳ, καὶ εἶπε τῇ θαλάσῃ, σιώπα, πέφίμαρ, καὶ ἐκόπασεν ὁ ἀνεμὸς, καὶ ἐγένετο γαλήνη μεγάλη.
- 40. καὶ εἶπεν αὐτοῖς, τί θεοὶ ἐστε ἅτι; πῶς ἔκχετε πίστιν;
- 41. καὶ ἐφοβήθησαν φόβον μέγαν, καὶ ἔλεγον πρὸς ἀλλήλους, τίς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, οὗς ἡ ἀνεμὸς καὶ ἡ θάλασσα ὑπακούουσιν αὐτῷ;

- 36. Et dimissa turba, assumant eum, ita ut erat in navi. Sed & alia naviculae erant cum illo.
- 37. Et oritur procella venti magna, & fluctus irruerat in navim, ita ut illa jam impleveretur.
- 38. Et erat ipse in puppi super cervicali dormiens, & excitant eum, dicuntque illi, Præceptor, non est tibi cura, quod perimus?
- 39. Et excitatus increpavit ventum, dixitque mari: Tace, obmutesce. Et conquiescit ventus, factaque est tranquillitas magna.
- 40. Et ait illis: quid timidi estis adeo? qui sitis, ut non habeatis fiduciam?
- 41. Et timuerunt timore magno, dicebantque inter sese, Quisnam hic est, quia ventus & mare obediunt ei?

LUC. 8.

LUC. 8.

- 22. Καὶ ἔβη εἰς ἓν μιᾶ τῶν ἡμερῶν, καὶ αὐτὸς ἀνέβη εἰς πλοῖον, καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, καὶ εἰπε πρὸς αὐτούς· διέλθωμεν εἰς τὸ πέραν τῆς λίμνης. Καὶ ἀνήχθησαν.
- 23. Πλεόντων ἢ αὐτῶν ἀφύπνωσε, καὶ κατέβη λαίλαψ ἀνέμου εἰς τὴν λίμνην, καὶ συνεπληρέθη, καὶ ἐκινδύνεον.
- 24. Προσελθόντες ἢ διήγειραν αὐτὸν, λέγοντες· ὀπίσθετα, ὀπίσθετα, σκοποῦμεθα. Ὁ ἢ ἐγερθεὶς ἐπετίμησε τῷ ἀνέμῳ καὶ τῷ κλύδωνι· ἔσθαι ἄνεμος, καὶ ἐπαύσαντο, καὶ ἐγένετο ἠσυχία.
- 25. Εἶπε ἢ αὐτοῖς, πῶς ἔστιν ἡ πίστις ὑμῶν, Φοβηθέντες ἢ ἐθυμαίωσαν, λέγοντες πρὸς ἀλλήλους, τίς ἀρα ἐστὶς ὁ ὢν, ὃς καὶ τοῖς ἀνέμοις ὀπίσθετα καὶ τῷ ὕδατι, καὶ ὑπακούουσιν αὐτῷ;

- 22. Factum est autem quodam die, & ipse ascendit in navim, ac discipuli ejus, & ait ad illos, Transiamus in ulteriorem ripam stagni, ac solverunt.
- 23. Ceterum navigantibus illis, obdormiuit, & ingruit procella venti in stagnum, & complebantur, ac periclitabantur.
- 24. Accedentes autem suscitaverunt eum, dicentes: Præceptor, Præceptor, perimus. At ille exprofectus, increpavit ventum ac tempestatem aque, & cessaverunt, factaq; est tranquillitas.
- 25. Dixit autem illis? Ubi est fides vestra? Timentes autem mirati sunt, dicentes inter sese, Quis putas hic est, quia ventis quos, & aque imperat, & obediunt ei?

DE COAGMENTATIONE CIRCUMSTANTIARUM HUIUS HISTORIE EX TRIBUS EVANGELISTIS.

ET si ex inspectione textus, qui per columnas appositus est, manifestum esse possit, qualiter is sit in unam harmoniam congerendus: tamen ut ratio ejus tanto expeditior, pauca monenda videntur. Accidisse hanc historiam vespere illius diei, quo Christus habuit concionem parabolicam, ex Marco constat. Quis autem septimanae dies fuerit, Lucas indicare videtur, dum dicit factum esse, ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν, in una dierum; ubi vocabulum μιᾶς non indefinite accipio pro quodam die, sed pro primo die septimanae, sicuti usurpatur Gen. 1. v. 5. & alias sapissimè in scriptura. Est is dies Solis, qui postea loco Sabbati totus consecratus est sacris ministerii exercitiis, & inde Dominicus dies dictus, Apoc. 1. v. 10. Cujus mutationis Sabbati Judaici in Dominicum diem Christianorum præludium aliquod fuit, quod Christus sæpius primum diem septimanae, proximum à Sabbato, quam alium docendo insumsit. Progressus itaque extra urbem ad navale usque, urbam, quæ turmatim sequebatur, dimisit: ipsum verò discipuli, qui præiverant, recipiunt, ita ut erant in navibus. Quod vel ita accipi potest, quod non sit facta magna præparatio & importatio commeatus, aut aliarum rerum necessariarum: sed sicut ex domo sua accesserat, ut ita conveniat cum eo, quod modo Scribæ dixerat, se non habere quo caput inclinet: vel quod ita se in navim composuerit, ac si de-

nuo ex ea concionaturus esset, sicut prius fecerat. At verò, quia satis diei datum erat, loco concionis plebi valedixit, atque sic eam dimisit. Qua dimissa solverunt à littore. Verum non omnes volunt discedere. Quem enim totum diem concionantem audierant, eidem silenti adherere cupiunt, ut vel ex solo conspectu, vel præsentia, consolationem aliquam & spirituale gaudium haurirent. Itaque quidam ipsorum alia navigiola arripiunt, & in eis ipsam sequuntur. Orta tempestate, reliquæ quidem naviculæ non fuerunt profus extra discrimen: procella tamen maxime incidit in navim, in qua Christus cum discipulis vehebatur. Idcirco discipuli in tanto discrimine, ut sit, turbati, cum tumultu & impetu Dominum dormientem inclamant, unusquisque iis verbis, quæ terror & metus suppeditant. Ac proinde omnium trium Evangelistarum verba retinenda fuerunt. Christus excitatus primum leniter ipsos objurgat ob pusillanimitatem: sed sedata tempestate gravius increpat. Ideò repetenda fuit objurgatio, & in medio interponendum, quibus verbis mare & ventos compescuerit, unde exortus est non tantum apud discipulos timor & reverentia major erga Magistrum, sed & apud homines una navigantes admiratio, quæ agnoscunt, non esse vulgarem hunc Prophetam: sed talem, qui etiam mutis elementis imperare possit.

HARMONIA HISTORIE DE TRANSFRETATIONE CHRISTI, COAGMENTATA EX TRIUM EVANGELISTARUM DESCRIPTIONE, Matth. 8. Marc. 4. Luc. 8.

Καὶ ἔβη εἰς ἓν μιᾶ τῶν ἡμερῶν, καὶ αὐτὸς ἀνέβη εἰς πλοῖον. α Καὶ ἐμβάνῃ αὐτῷ εἰς τὸ πλοῖον, ἠκολούθησαν αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ. β Καὶ ἀφείτες τὸν ὄχλον, ἠδραμαίωσαν αὐτὸν, ὡς ἐν τῷ πλοίῳ. γ Καὶ εἶπε πρὸς αὐτούς· διέλθωμεν εἰς τὸ πέραν τῆς λίμνης, καὶ ἀνήχθησαν. δ Καὶ ἄλλα ἢ πλοῖα ἦσαν ἐν τῷ πλοίῳ. ε Πλεόντων ἢ αὐτῶν ἀφύπνωσε. α Καὶ ἰδὼν σεισμὸς μέγας ἐγένετο ἐν τῇ θαλάσσῃ. καὶ κατέβη λαίλαψ ἀνέμου β μεγάλης εἰς τὴν λίμνην, β τὰ ἢ κύματα ἐπέβαλεν εἰς τὸ πλοῖον, α ὡς

Factum est autem in prima dierum, & ipse ascendit in navim. α Et cum esset ingressus navim, secuti sunt eum discipuli sui. β Et dimissa turba assumunt eum, ita ut erant in navi, γ & ait ad illos: Transiamus in ulteriorem ripam stagni, & solverunt. δ Sed & alie naviculae erant cum illo. ε Ceterum navigantibus illis, obdormiuit. α Et ecce motus magnus factus est in mari, β & ingruit procella venti β magna ceterum in stagnum, β & fluctus injiciebat in navim, α adeo

το πλοῖον καλυπθεὶς ὑπὸ τῶν κυμάτων, ὡς αὐτὸ ἦδη
 ἤρπυζεν. c Καὶ σωεπαλήρηντο, καὶ ἐκινδύνεον. c καὶ ἠὲ
 αὐτοὶ ἦν τῆ πύμνη. b ἐπὶ τῷ πρῶτον φάλακρον c καθέουδον.
 καὶ πρῶτον αὐτῶν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ὅτι ἤγερσαν αὐτὸν, λέ-
 γοντες c αὐτῶν, ὅτι πρῶτον, ὅτι πρῶτον, ὅτι πρῶτον. b διδά-
 σκαλε, ἢ μάλιστ' ὅτι ὁδοπλόμεθα. a κύριε, σωσον ἡμᾶς,
 ὁδοπλόμεθα. καὶ λέγει αὐτοῖς, τί θεοὶ εἰσίν, ὁδοπλόμεθα;
 b τότε ἔγερθε, ἐπεμιμησθε τοῖς ἀνεμοῖς καὶ τῇ θαλάσῃ,
 c καὶ τῷ κλύδωνι ἔῳδατο. b καὶ εἰπέ τῇ θαλάσῃ, σάπι,
 πειθίμα. c καὶ ἐκπίπτετε οἱ ἀνεμοὶ, c καὶ ἐπαισαυθεῖτε, b καὶ ἔρα-
 τήθω θαλάσῃ a μεράλη. b καὶ εἰπεν αὐτοῖς, b τί θεοὶ εἰσίν
 ἦτες; πῶς ἔκ ἐχέτε πίστιν; c πᾶς ἐστὶν ἡ πίστις ὑμῶν; b καὶ
 ἐφοβήθησαν φόβον μέγαν, a καὶ οἱ ἀνδραγαθὶ ἐξέταμασαν,
 b λέγοντες ὅτι πρῶτον ἀλλήλων: τίς ἀρεὰ a καὶ ποταπὸς b ἔστι
 οὗτος, ὃς καὶ τοῖς ἀνεμοῖς ὁδοπλόμεθα καὶ τῷ ὕδατι, a καὶ οἱ ἀνε-
 μοὶ, καὶ ἡ θαλάσσα ὑπακούουσιν αὐτῷ;

ut navis operiretur a fluctibus, b ita ut illa jam operiretur,
 c & complebantur, & periclitabantur. c Et erant ipse in
 puppi b super cervicali c dormiens. f Et accedentes disci-
 puli ejus b excitaverunt illum, dicentes illi. Præceptor,
 Præceptor, perimus. b Magister, non est tibi cura, quod
 perimus? a Domine servanos, perimus. Et dicit illis, quid
 timidi estis, exigua præditi fiducia? b Tunc excitatus in-
 crepavit ventos & mare, a ac tempestatem aqua, b dixit-
 que mari, Tace, obmutesce. b Et conquivit ventus, c &
 cessaverunt, & facta est tranquillitas a magna. Et ait
 illis: b Quid timidi estis adeo? qui sit ut non habeatis fi-
 duciam? c ubi est fides vestra? b Et timuerunt timore
 magno. a ac homines f admirabantur, b dicentes b inter
 sese: Quis putas a & qualis b hic est, qui ventis quos, &
 aqua imperat, a & veni quos, & mare obediunt illi?

Periocha hujus Historie.

ANte omnia consideretur in hac historia, quæ plurimas suppeditat doctrinas, quo fine Dominus Jesus hanc navigationem instituerit. Fuit is, ut uno verbo dicam, hic, ut Apostoli dicerent, quantum adhuc ipsis deesset ad perfectionem. Apostolatus. Diximus enim supra cap. 52. generalem hanc esse observationem in tota Evangelica historia, quod post excellentem aliquam concionem, plerumque sequantur illustria miracula: non tantum ut certitudo doctrinæ iis confirmetur, sed & ut *σεβήεις* atque usus ejus monstraretur & applicetur. Eadem observatio etiam huc pertinet. Habuerat illo die Christus insignem concionem, qua rationes regni cælorum variis parabolis, seminis, zizanorum, grani sinapis, fermenti, margaritæ, thesauri, &c. illustravit. Hujus concionis quali practicum quoddam examen jam instituit, non tantum in plebe, sed & in ipsis Apostolis. Et quidem quod plebem attinet, proponit ipsis unam, atque alteram parabolam, ac postea dimittit. Discedunt ferè omnes, nec quisquam ex iis est, qui de vero parabolarum intellectu interrogaret. Atque sic re ipsa ostendunt, se nobile semen cælestis verbi excepisse in corde patulo, quod doctrinam nolit capere & retinere, sed permittit ut rursus è memoria evolet, vel ab infernalibus avibus auferratur. Hi nullum ferent fructum ad vitam æternam. Discipuli tamen de vero sensu interrogant, & explicationem accipiunt, quam dubio procul etiam aliqui ex populo, qui Christum domum secuti fuerant, audierunt. Hi sunt reliquis meliores, quibus etiam Christus dicit; Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum. Ideoque etiam plures parabolas ipsis proponit. Postea producitur Scriba, qui ambit locum inter Apostolos, sicque præ se fert, ac si semen verbi in honesto corde suscepisset, & fructum allaturus esset. Sed postquam audit duras & difficiles hujus functionis conditiones, retrocedit, eo que prodit, vel zizania Judaica simul sparsa esse in suo corde, vel certe semen in petrosa incidisse, ita ut ipse factus sit *σφόδρα*, qui tantisper Christo adherere cupiat, dum læta fortuna arridet, & apud populum in gratia est, atque autoritate: sin diversum metuendum sit, se Christo carere posse. Tandem succedit, unus ex discipulis, in quo semen verbi ex conversatione cum Christo incrementa sumserat: sed simul suc-

creverant spinæ, quæ spiritualem fructum verbi suffocare, eumque rursus ad terrena rapere cupiunt. Idcirco audita patris morte, missionem petit, ut hæreditatem adire queat. Christus ergo spinas eradicaturus & semen conservaturus, veniam ipsi negat, eumque secum detinet. Hæc omnia Apostoli videntes atque observantes, secum cogitant, se esse bonam terram, & poterant inde animos sumere atque superbire, quasi nihil de via, nihil de petra, nihil de spinis in ipsorum corde, superesset, maxime quia interrogati à Christo, utrum illa omnia, quæ dixerat, intelligerent, responderunt, utique. Gaudebant itaque dubio procul in sinu suo, quod invenissent thesaurum illum absconditum, & quod pretiosa illius Margaritæ participes facti fuissent. Ne ergo nimium efferrentur, sed agnoscerent se nondum pervenisse ad perfectionem, si quidem adhuc petrosi & spinosi satis multum hæreat in ipsorum corde, deducit eos ad mare, tempestatem oriri patitur, atque permittit ipsos de vita periclitari, ibi demum in praxi sentiunt & re ipsa experiuntur, adhuc admodum modicam esse suam fidem, si quidem verbum Dei nondum profundas radices in corde ipsorum egerit. Atque sic simul discunt, quomodo tractari debeat granum sinapi, si velit crescere, & fermentum, si velit totam massam pervadere. Nimirum granum sinapi, nisi mittatur in terram, non crescit: & fermentum, nisi subigatur sub farinam, non fermentat. Quid verò sit sub terram mittere, & quid sit subigere, illud Christus in hac jactatione tempestatis discipulis vult ostendere. Sed prodest singulas historiæ partes, pel potius practicas doctrinas, quas Christus suis proponere voluit, diligentius inspicere.

I. Prima doctrina hujus historiæ est, quod Christus voluit docere, quam mirabiliter suos, quos ad participationem æternæ salutis vocavit, ducat, Psalm. 4. v. 4. quod variis adversitatibus obruantur, etiam quando Christus ipsis est proximus. Venerant Apostoli ad Jesum, pleni spe immensi gaudii & æternæ felicitatis. Ipse eos non tantum benigne suscepit, sed etiam non ita pridem in Apostolos & ecclesiæ columnas elegit, ut mundi Doctores fierent. Quis non hic augustissima quævis expectaret? Sed qualiter eos ducit? Non ad voluptates & jocos, sed ad meras miseras & angustias. Primo circumducit eos post vocationem per

per varios vicos & civitates, ita ut exulum instar peregrinari cogantur, & quocumque locorum perveniunt, fere nihil inveniunt, præterquam leprosos, paralyticos, flentes & lugentes, mortuos, cæcos, claudos, surdos, mancos. Postea transeunt cum ipso per castella, ibi Magistro laborante & concionante, discipuli famem & paupertatem ferre coacti fuissent, nisi liberalitas quarundam religiosarum fœminarum ipsos sublevasset. Inde domum reversi, incidunt in graves disputationes & contentiones adversariorum, & experiuntur insuper perfidiam cognatorum, Christum comprehendere cupientium, ne propter ipsum apud Scribas periclitari cogentur. His non contentus, jam deducit eos in mare, ubi singulis momentis mors imminet, à qua non absunt remotius, quam asseris crassities impedit. Posthæc tandem (ut omnibus Christianis constat) ducit eos ad martyrium & mortem. Num ergo spe sua decepti sunt? Minime verò. Etenim non ad temporalem felicitatem ipsos vocaverat: sed ad regnum cœlorum, de quo in ultima cœna dicit, Luc. 22. vers. 29. Ego dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi pater meus. Sicut ergo ipsum oportuit pati, & sic intrare in gloriam suam, Luc. 24. v. 26. Ita mature etiam hos discere oportuit: non esse discipulum supra magistrum, neque servum supra Dominum, Matth. 10. v. 24. Meliora nec nos in his terris speremus: sicut nobis id prædixerunt Apostoli, Act. 14. v. 21. quod oporteat nos per multas tribulationes intrare in regnum Dei. Antichristus est, qui suos ducit ad divitias, opimas præbendas & voluptates hujus mundi: via per quam Christus suos ducit, est arcta & angusta, & pauci inveniunt eam, Matth. 7. v. 14. Sed nequaquam animo propterea concidamus, quia momentaneum & leve tribulationis hujus, quod est in præsentis, operatur in nobis supra modum excellens æternum pondus gloriæ, 2. Cor. 4. v. 17. Quapropter minime opus est, ut Christiani ipsi sibi crucem fabricent, quam humeris suis imponant: modo fideliter Christum sequantur, tum jam paratam invenient. Sicut verò talia nequaquam discipulos absterruerunt, ut propterea Christum desererent, fides & amor Christi apud ipsos pericula vicerunt: sic & nos eum absque tergiversatione sequamur. Prædixit hoc Scribæ, qui restitit, neque sequi voluit. Discipulus alter audiens duram conditionem filii hominis & eorum qui ipsum sequuntur, nihilominus tamen Christum vocantem secutus est. Quin & reliqui discipuli libentius domi mansissent: quia vespera jam facta erat & appetebat nox. Sed imperium Christi vocantis & jubentis detrectare non poterant.

Est verò consideratione digna adversitas, quæ discipulis obtingit, dum sequuntur Christum. Neque enim levicula illa fuit, sed cum extremo vitæ periculo conjuncta. Nam Christus *ὀψίας ἡγομένης, vespera facta*, quæ apud Judæos hora nona; hoc est, post tertiam nostram pomeridianam, incipiebat, lassus ex labore diurno & serâ concionandi contentione, in navem receptus, super cervical cubuit & dormire cœpit. Illi vero qui in navi erant, cum prius jussi fuissent transire, eum ita dormientem trajicere cœperunt. Et initio quidem, cum ex littore solvant, mare placidum erat & tranquil-

lum, nec quicquam mali minabatur: sed ex improviso, quamprimum cum Christo in altum provecti sunt, mare intumescit, & inexpectatam parturit tempestatem. Hoc enim Evangelista Matthæus voce ἰδὲ, ecce indicare voluit: nimirum, malum hoc præter omnem expectationem accidisse. Nec fuit hæc tempestas vulgaris: sed inusitata & supra modum terribilis, ac si quidam terræ motus factus esset. Unde etiam *σεισμός* dicitur, quæ vox talem concussionem & quassationem significat, qualis in terra motu fieri solet. Varinus, *σεισμός, κίνησις γῆς ὑπὸ πνεύματι* ἐν δὸν ἀποτρεφέντι, καὶ βίαιος ῥεύσας, *ἄλλὰ τὸ καλυθῆναι περὶ τὰ κοίλα*. Neque hoc solum. Etsi enim hæc tempestas etiam reliquas naves, quæ una ibant, quassabat: Tamen in primis hæc navis, quæ Christum cum discipulis vehebat, periclitabatur. Nam ex aere descendit *λαίλαψ, procella vehemens* & turbo impetuosis in stagnum, qui turbo navim apprehendens raptavit & rotavit, quo periculo nullum aliud in aquis interitui potest esse propius. Aristoteles de Mundo *λαίλαπα* dicit esse *πνεῦμα βίαιον καὶ εἰς ἄλλο μέρος αἰωθεῖν ἀναι, ventum violentum, qui inferens sursum versus repente convolvitur*. Varinus dicit, *λαίλαψ ἐστὶ σφοδρὸς καὶ συστροφῆς ἀνέμω*. Hic procellosus ventus fluctus maris tanta copia projiciebat in navim, ut ipsa à fluctibus operiretur, aquis marinis impleteretur, non aliter quam hydria in nuptiis Galilæis impleta fuerant, Joh. 2. v. 7. Quo verbo Evangelista illic loci etiam usus est. Erant igitur discipuli in præsentissimo periculo vitæ, sicuti descriptio Evangelistarum inter se collata dixerit illud testatur. Et in quanto periculo fuerint, vel inde colligere licet: quia Petrus & socii ante hæc tempora piscatoria arte usi erant in hoc ipso stagno, ac proinde tempestatum non experiri sciebant, si maxime fluctus semel atque iterum cymbam contendant, tamen posse peritos nautas eluctari, itaque harum rerum gnari non facile terrebantur: sed hic desperant cuncti, & magno clamore ter ingeminant *δοῦν ἡμεῖς αὐτὸν, perimus, perimus, perimus*. Syrus utitur verbo *כָּנַס* quod significat interire & perdi. Unde Angelus ille abyssi, exterminans, Apoc. 9. v. 11. Abaddon & apollyon nomen suum habet. Ubi interea Christus? Non procul abest: sed jacit in puppi & dormit. Non quasi ignorarit Apostolos suos in hujusmodi difficultates congestos iri: sed quod optimus palæstræ Magister, hostes suos discipulos, quos orbis athletas constituit, decrevit, sic exercere voluit, ne postea terroribus in periculis vincerentur: neve magnum quid sibi arrogarent, propterea quod aliis dimissis ipsos secum retinuerit. Hinc ergo discamus, Christum adhuc hodie interdum amantissimos introducere in periculum: non quod eos in periculis perire velit, sed ut ad magna ipsos præparet. Sicut Paulus de se fatetur 2. Cor. 1. v. 8. quod fuerit in maxima tribulatione, adeo ut apud seipsum responsum mortis habuerit: sed DEUM, qui etiam mortuos suscitare potest, se ex periculis eripuisse & consolatum esse, ut & ipse possit alios consolari, qui in omni pressura sunt, per consolationem qua Deus consolatus sit ipsum. In hujusmodi autem periculis ratio hominis ipsa sibi persuadet Christum procul abesse, illa nec videre, nec nosse, alioquin non passurum esse, ut ita periclitemur. Sed solemur nos

nos ipsos hac historia, in qua audimus Christum proximè affuisse discipulis: sed tamen dormivisse. Sic & nobis adest, quemadmodum dicit in Psalm. 91. v. 15. Ego sum cum ipso in tribulatione. Et Christus promittit, Matth. ult. v. ult. Ego sum vobiscum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Et quemadmodum Marc. 6. v. 48. vidit discipulos in remigando laborare: Ita etiam videt nostras adversitates. Quomodo enim is qui oculum finxit, non videret? Psalm. 94. v. 9. Ideo jubet scribere Angelo Ecclesie Smyrnenfis, Apoc. 2. v. 9. scio tribulationem tuam & pauperatatem tuam. Ecce missurus est Diabolus ex vobis aliquos in carcerem ut tentemini: & habebitis tribulationem diebus decem. (Ecce etiam tempus prædefinitum est, quosque adversitas durare debeat) sed esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.

II. Secunda doctrina est, quod Christus in hac historia monstrare voluit, ad quem in omnibus periculis & adversitatibus confugere debeamus, Apud Jonam in gravi tempestate quisque naufragarum suam DEum invocat, Jon. 1. v. 5. Versabantur enim miseri isti homines, lucerna verbi divini destituti, in summis tenebris, & opinabantur, si vel Neptunum, vel alios Deos marinos invocarent, se à periculis suis eripi posse. Sicuti eadem cœcitas postremis temporibus sub Papatu in Ecclesiam Christi reiecta est, ubi docuerunt homines, in periculo naufragii, vel incendii, vel quovis alio, Divos cœlites invocare. Hinc alii Mariam matrem virginem, alii Barbaram, alii Christophorum, alii Nicolaum, quibus administrationem aquarum commendatam esse hominibus persuaserunt, inclarant, alii, viso eminens templo, Divum ne nomine quidem sibi notum. At discipuli sciverunt, quod omnes Dii gentium essent Dæmonia, Psalm. 96. v. 5. Ideo ab illa impietate prorsus erant alieni. Imò nec ad sanctos defunctos preces suas direxerunt. Sciebant Noachum olim integrum annum inter fœvas diluvii aquas fluctuantem mirabiliter servatum esse: non ignorabant Moysi nomen inditum fuisse inde, quod in aquis servatus & ex iis extractus fuisset: noverant etiam Jonam in mare projectum, & à balæna exceptum, tertia die terris reditum fuisse. Nullum tamen horum invocant. Sed recta ad Christum recurrunt, illum inclament, ab hoc se servari petunt. Dicunt, *Præceptor, Magister, Domine, serva nos.* Quibus titulis includunt rationes, cur ad hunc Jesum accurrant: 1. quia debeat, 2. quia possit servare. Quod debeat, id inde eliciunt, quia sit *ἰδία καλῶς* & *ἡγίασθης*. Quis præceptor colligit discipulos, ut eos pessum ducat? Et in primis *ἡγίασθης* nomen, quo apud Lucam (qui peculiariter hoc vocabulo delectatus est) geminato utitur, inculcat, quid ipsius sit muneris. Nam *ἡγίασθης*, præterquam quod Præceptorem vel pædagogum designat, propriè significat curatorem alicujus rei, idem quod *ἐπιμελητής*, qui diligentem curam gerit: Sicut dicuntur *ἡγίασται ποιμνίων*, gregis curatores, & *γυμνασιῶν ἡγίασθης*, gymnasii curator. Sed & ii, qui Reipub. curam, gerunt, *ἡγίασται* dicuntur, ut ex Suida constat. Et in acie *ἡγίασθης* dicitur, qui alteri commilitoni est substitutus, ut ei succenturiatus

Harm. Tom. I.

succedat, *δὰς ἐρ ἰσὺν ἐντὸς ἐγὼ*. Intelligunt ergò discipuli, hunc Jesum à Deo sibi præfectum, seque ipsius curæ commisos esse, ut salutem ipsorum procuret, cumque in reliquis ad eò diligens & sollicitus sit, non deserturum ipsos in hac summa necessitate. Ita etiam 4. Reg. ult. v. 19. respondet Hebraico verbo *קָרַב* Pakid, quod significat eum, cui administratio aliqua commissa est. Itaque non potuit Christus discipulis hic denegare suum auxilium & protectionem, Quod verò possit auxiliari, id illo vocabulo insinuat, quod ipsum vocant *κύριον*, Dominum. Quod quidem nomen ferè respondet Tetragrammato Jehovæ, & designat omnipotentem Dominum, cujus imperio omnia sunt subjecta. Hoc in loco Syrus habet vocabulum *נַד* quod significat Dominum, sed cum appositione rei alicujus. Ut Amos 1. v. 1. *נַד נַד*, Dominus pecorum. Et Deus dicitur *נַד הַיָּם*, Dominus mundi. Hic verò absolute ponitur: quia verè est absolute Dominus omnium, sicut paulò post ipso facto ostendet. Docent ergò Apostoli rectè, quidnam in omnibus nostris angustiis & necessitatibus facere debeamus. Furit mare hujus mundi, procellosus turbo fluctus immanes excitat, hi inter se collisi navim animæ nostræ, corpus, & vitam qua vehimur, ita adobruunt atque implent, ut in singula momenta perituri videamur. Quoniam confugimus? Ad hunc Jesum. Si enim tum secundum humanam naturam vere dormiens, tamen secundum Deitatem pro Apostolis excubavit, & in medis fluctibus eos conservavit, quid nunc non facturus est, postquam hic sanctus Israelis vigil, nunquam amplius nec dormit nec dormitat? Psalm. 121. v. 4. Sed semper oculi ipsius sunt aperti super justos: & aures ejus attentæ in preces eorum, Psalm. 34. v. 16. Simulat quidem interdum somnum: sed hoc facit, ut precandi ardorem in nobis accendat. Excitemus igitur ipsum piis precibus in omnibus nostris adversitatibus, neque formidemus, ne nos tanquam nimium importunos rejiciat.

Simul & hoc observatione dignum est. Si Christus à navi abfuisset, tantus mortis excitatus non fuisset: quia Diabolus ipsum potissimum petiit. Jam vero ob Christum præsentem hic motus oritur, & ipse jacet *ἔκει τῆ περὶ πύργου*, in posteriore parte navis, *supper puppi*, in illa parte, in qua Apostoli remigare debebant, & ubi erat clavus seu gubernaculum. Sic sæpe fit, quod turbæ oriuntur ob Christum, ob ipsius verbum, & sinceram ejus confessionem: & non raro apparet, ac si undique pax & tranquillitas secutura esset, si modo Christus removeretur, si ipsius verbum seponeretur, si in unica particula aliquid adversariis largiremur. Ibi tum deliberationes instituuntur, de removendo & seponendo Christo. Sed caveant pii, ne in ejusmodi consilia consentiant. Neque enim Christus ex navi ejiciendus est, ut Jonas, sed hic unice retinendus: siquidem ipse solus rebus desperatis remedium afferre potest. Ergò piis precibus excitandus. Nam quicumque eum accedunt, illi illuminantur: & facies eorum non confunduntur, Psalm. 34. v. 6.

III. At dicat aliquis. Cur vero Christus Apostolos tam graviter reprehendit, si licet in omnibus adversitatibus & periculis ad eum accurreres, & ipsum

Non

& ipsum ad opitulandum excitare? Respondeo: Christus ipsos non reprehendit propterea, quod ipsum excitassent, ipsiusque opem implorassent. Utrumque enim expetit & vult. Sed propterea objurgat, quod adeo modice essent fidei, neque ex tot suis miraculis tantum profecissent, ut non tanto perire in periculo hoc, satis licet gravi, tumultuarentur. Atque sic non tantum Apostolos, sed in ipsorum exemplo etiam alios Christianos vult docere, quomodo fides, quæ in rebus secundis instar grandis alicujus arboris firma & constans esse videtur, in adversis ita concidat, contrahat & evanescat, ut vix instar grani sinapis esse deprehendatur. Nam consideret quisque intra se diligentius, quanta fuerit hæc Apostolorum infirmitas. Non fuit apud ipsos vulgaris metus, qui in repentino casu etiam in virum constantem cadere potest: sed in tali casu animosa fides contra terrorem luctatur, & paulatim rursus se erigit. Hic vero apud Apostolos fides adeo profunde mergitur, ut tota concidat. Nam si ipsorum clamores apud Evangelistas conferantur, non tantum conqueruntur de periculo in quo versantur & pereunt: sed & cum Christo expostulant, dicentes: *non est tibi cura quod perimus?* Quasi dicerent: qualis tu es Servator, qui dormis in nostro periculo? Nos omnibus relictis te sequimur, apud te quarimus regnum Dei, & tu promissisti futurum, ut talibus omnia adjiciantur, Matth. 6. v. 33. Quid nobis adjicitur? Alii sunt extra periculum, & nos perimus. Hanc plus quam muliebrem trepidationem & pusillanimitatem Christus in ipsis reprehendit, & innuit, ipsos ex tot concionibus & miraculis, quorum spectatores fuerint, tantum proficere debuissent, ut considerent, se ipso præsentem ipsius præsidio adversus omnes diaboli machinationes tutos esse posse, præsertim cum ad hoc munus sint delecti, ut post ipsum hanc fidem in toto terrarum orbe prædicarent. Ideo ipsis dicit: *Cur adeo timidi estis? qui sit, quod non habeatis fiduciam? ubi est fides vestra?* In his verò omnibus non tantum Apostolorum, sed & propria nostra infirmitas nobis ob oculos spectanda proponitur. Ea enim est ratio fidei nostræ, ut vel levicula crux eam excutere possit, ut cum Asapho in Psal. 73. v. 13. querulamur: Ergo sine causa justificavi cor meum & lavi inter innocentes manus meas, & fui flagellatus tota die, & castigatio mea manè adest? Aut cum Jobo 3. v. 3. & Jere. 20. v. 14. maledicimus diei in qua nati sumus, & optamus ut pereat. Itaque nemo sit securus, ut nemo de firmitate fidei suæ gloriatur; nemo verbi auditum aut Sacramentorum usum, quæ sunt media confirmationis fidei nostræ, contemnat: sed, qui existimat se stare, videat ne cadat, 1. Cor. 10. v. 12. Et cum Apostolis Luc. 17. v. 5. precemur, Domine, adauge nobis fidem. Nam si maxime possimus cum patre Lunatici dicere, Marc. 9. v. 24. Credimus Domine; mox tamen adjicere cogimur: sed adjuva incredulitatem nostram.

Hic verò nova exoritur tentatio in pectoribus verè piorum, quod Satanæ objicit: Didici ex sacris fidem debere esse *ὑπόστασις καὶ ἐλεγχος*, substantiam & certum Argumentum, Hebr. 11. v. 1. *παρρησίαν καὶ καύχημα τῆς ἐλπίδος*, fiduciam & gloriationem spei nostræ, Hebr. 3. v. 6. Ita ut accessus

nostrer ad Deum sit *ἐν παρρησίᾳ*, Ephes. 3. v. 12. cum persuasione fiducia, non cum tumultuatione. Insuper, cum Christus sæpenumero suis dicat, sicut Centurioni Matth. 8. v. 13. Fiat tibi sicuti credis, dicat nobis cor nostrum? quid tu accipiturus es, cum non credas, & *παρηγοροῦμαι* illa fidei, quæ requiritur, destituaris? Hic ergo, quando cor proprium nos arguit & condemnat. 1. Joh. 3. v. 20. attendendum, quomodo hoc Apostolorum exemplo nos consolari & rursus erigere debeamus; & discendum, quomodo fides debeat esse instar anchoræ tuta, quæ ingrediatur usque in ea, quæ sunt intra velum, Heb. 6. v. 19. Apostoli in anxietate cordis clamant & dicunt: *Perimus, perimus: an tibi non est cura, quod perimus?* Hoc certè non est fidei, sed pusillanimitatis. Interim tamen accurrunt ad Christum, excitant eum, ingeminant illa verba: *Præceptor, præceptor*, vel ut est in Syriaco textu: *Præceptor nostrer, præceptor nostrer, magister nostrer*. Et tertio addunt: *Domine nostrer*. Hic certè emicat radius fidei, quasi dicant: Tu es verus Deus, nos tuus populus: tu nos vocasti ad ministerium regni cælorum, nos tui discipuli. Itaque non deseres nos. Licet autem in his fides se erigat, tamen mox rursus concidit, Finis enim sermonis est: *perimus*. Sic sunt mixti affectus in tentatione: modo abjiciunt animum, mox resumunt: & tamen plus de pereundo sermocinantur, quam de spe salutis. Ita & nos in nostris adversitatibus ferè quiritamur, sumus timidi, tumultuamur, sumus impatientes. Non semper possumus cum Davide magnanimè dicere: Dominus est lux mea, & salus mea: quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Psal. 27. v. 1. Etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es, Psal. 23. v. 4. Non timebo multa millia populi circumdantis me, Psal. 4. v. 7. Nam Dominus mihi adjutor: non timebo quid faciat mihi homo, Psal. 118. v. 6. Sed clamamus cum eodem. Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia, &c. Psal. 69. v. 1. Usque quo ergo Domine oblivisceris mei in finem? Usque quo avertis faciem tuam à me? Psal. 13. v. 1. Querulamur cum Sione: Dominus dereliquit me: & Dominus oblitus est mei, Jesa. 49. v. 15. In hac fluctuatione fidei & infirmitatis, quid statuendum? num desperandum, quasi Christus nos abjecturus esset? Minimè verò, sed erigamus & consolemur nos hoc exemplo Apostolorum. Debuisset quidem ipsorum quoque fides in hoc periculo lucere tanquam lampas & fax in loco caliginoso, sed venti procellarum eam prope modum extinxerant, ut esset instar lini fumigantis. Sed is, qui calamum quassatum non conterit, & linum fumigans non extinguit, Jesa. 42. v. 3. etiam hanc ipsorum infirmitatem suffert. Non quidem eam probat, sed arguit, non tamen eos propterea à se rejicit, sed surgit, motus fluctus rursus componit: Et his compolius, tum demum eos severius increpat & objurgat, idque in eum finem, ut in posterum plus fiduciæ in ipso collocare discant. Ita ergo & nos, quando ipsi deprehendimus, nos in adversitatibus magis fuisse pusillanimes, quam deceat fidei nostræ professionem: tum sciamus sanè, hoc Christo displicere, agnoscamus infir-

infirmam fidei & dubitationem non esse virtutem: sed esse unum ex peccatis, quod indiget remissione. Et agnoscamus gratiam salvatoris nostri Jesu Christi, quid id quod infirmum est non abjicit, sed consolidat: & qui, quod contractum est, alligat. Ipsi pro hac benignitate gratias agamus, & bene speremus, quod etiam in nostra infirmitate virtus ipsius sit perficienda, 2. Cor. 12. v. 9. Sic ergo non gloriemur, in fortitudine fidei nostræ: sed in illo gloriemur, quod novimus Dominum nostrum Jesum Christum, qui est Dominus faciens misericordiam & justitiam in terra, Jerem.

9. v. 23.

IV. Jam porrò etiam videamus, *quis & quantum sit hic Dominus*, sicut homines in hac historia de eo inquirunt. Nos credimus & scimus, quod in una indivisa persona sit verus homo & verus Deus. Illud etiam hæc historia aperte docet. Nam quod sit homo, ejus rei documentum satis certum est, quod ex lassitudine laboris diurni dormit: quod sit verus Deus, id eo confirmat, quia excitatus sedat tempestatem maris. Ostensus nimirum se esse eum, de quo Aſaph in Psalm. 78. v. 65. Excitatus Dominus tanquam dormiens, tanquam crapulatus à vino, percussit inimicos suos. Utuntur autem omnes tres Evangelistæ verbo *ἐπιτιμήσασθαι*, quod respondet Hebræo *נָסַף*, & significat increpare, multis verbis & clamore in aliquem in vehi. Atque tribuitur Gen. 37. v. 9. Jacobo, qui objuravit filium Josephum, ob narrata somnia. Item Ruth. 2. v. 16. Indicatur autem eo virtus verborum Christi, quæ tanta est, ut penetrer etiam ipsius imperium in muta Elementa mundi, sicuti in superioribus Centurio Capernaiticus, Matth. 8. v. 9. talem fidem insigni oratione professus est. Etenim circumdedit quidem DEUS inde ab initio mare terminis suis, posuit ei vectem & ostia, Job. 38. v. 10. Jere. 5. v. 22. sed interdum etiam ipse Dominus percussit mare, ut sæviant ipsius fluctus, Jesa. 51. v. 15. Jere. 31. v. 35. ut sonent & intumescant. Ascendunt usque ad cælos, & descendunt usque ad abyſſos, adeo, ut qui navigant mare, turbentur, moveantur sicut ebrii, & anima eorum in malis tabescat, ut habet Psal. 107. v. 26. Sed hic est Dominus, qui pro suo arbitrio turbidum mare unico verbo tranquillum reddere, & composita tempestate gratam tranquillitatem reducere potest. Dirigit autem sermonem suum ad ipsas undas maris & ad ventos, *Tace, obmutescite*: ut ostendat se illum esse Dominum, cui serviant & militent omnes creaturæ. Qui in initio, cum aquæ starent super omnes montes, illas increpuit, & à voce *ἐπιτιμήσεως*, increpationis ejus fugerint, atque à sonitu tonitru ejus formidarint, Psal. 104. v. 7. Sunt enim creaturæ lictores Dei, qui ejus permissione hominem adorantur, & ob peccata puniunt, quod si verò velint modum excedere, tum eas increpat: non aliter, quam si pater filium pædagogico tradidisset castigandum, hic verò modum servare non posset, tum à patre inclamaretur & reprehenderetur. Sic ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, faciunt verbum ejus, Psal. 148. v. 8. Quando ergò homines in hac historia quærunt, *τις καὶ ποταπὸς θεὸς ἐστίν;* *quis & qualis hic vir est?* Nam *ποταπὸς*, ut annotant Græcæ linguæ gnari, accipitur *τίμιος*, & est aliquan-

Harm. Tom. I.

do significantius, quam si diceretur *θεός*. Perinde enim est, ac si non simpliciter interrogaretur, qualis quis esset, sed simul etiam ex quali regione ortus. Quando ergò, inquam, homines hoc quærunt: tum nos ex scriptura sacra respondemus. Est ille ipse Dominus è cælo, 1. Cor. 15. v. 47. de quo Exod. 14. v. 22. scribitur, quod Israelis tutum fecerit transitum per mare rubrum. Nam hic juxta Psalm. 106. v. 9. *ἐπέτιμήσεν τῇ ἐρυθρῇ θαλάσῃ*, increpuit mare rubrum, & exiccatum est: & deduxit Israelitas per abyſſos, tanquam per desertum. Hic est, cujus jussu, Jos. 3. v. 16. steterunt aquæ Jordanis descendentes, in uno loco instar montis intumescentes, reliquæ verò defluerunt in mare mortuum, ut Israelitæ tutum haberent transitum in terram Canaan. Hic est, de quo Psalm. 65. v. 8. qui compescit sonitum maris, sonitum fluctuum ejus, & tumultum populi, & timebunt. Et Psalm. 89. v. 10. qui dominatur superbæ maris: tumultum fluctuum ejus mitigat. Idem hic Dominus hoc in loco *ἐπέτιμήσεν τὸν ἄνεμον*, & facta est tranquillitas magna. *Ἐπέτιμήσεν* significat non tantum tranquillitatem, sed & serenitatem, & derivatur à *πέλαγος*, quod est rideo, quasi *πέλαγη*, quando omnia vultu sereno rident. Talis serenitas etiam facta est, postquam Christus vento imperavit, ut flatum & impetum sisteret, & mari, ut fluctus suos tumentes componeret. Etenim sæpè accidit, ut fluctus semel moti, etiam quiescente vento non quiescant, nisi elapso aliquanto temporis spatio. Voluit igitur Jesus ut simul & ventus cessaret, & mare sævum quiesceret, idque factum est, cum primum ille jussit, magna tranquillitate, ut non posset naturæ adscribi, sed miraculo. Discamus ergò efficaciam verbi illius agnoscere: ut si verbum promissionis ejus habeamus, ei fidamus, si maxime tota rerum natura & ipsa experientia clamet actum esse, nosque periisse. Unicum enim verbum ab ipso prolatum, est virtus illius dextræ Excelsi, de qua in Psalm. 77. v. 11. dicitur, quod mutare possit omnia. Sic ergò creverunt Apostoli in cognitione hujus sui præceptoris: quod scilicet sit ille Dominus, qui fecit cælum & terram, & mare, & faciat in eis quæcunque velit, Psalm. 146. v. 6. Hic in mari & aere finit oriri tempestatem & eandem rursus sedat, prout vult. Superius in historia Centurionis consecutus est testimonium, quod terrenis creaturis & morbis etiam utatur, pro suo arbitrio. Postea etiam de cælo cognoscunt Apostoli, quando post resurrectionem, & impletum Jonæ signum, Matth. 12. v. 39. ascendit in cælum, & inde mittit paracletum. Sic ipsi in agnitione Jesu Christi profecerunt: eodem modo & nos proficiamus.

V. Effectus etiam additur hujus miraculi, qui duplex hoc loco ab Evangelistis recensetur. *1. Timuerunt timore magno*, & hoc secundum Evangelistarum contextum propriè refertur ad Apostolos. Unde vero apud ipsos oritur timor, cum potius letari debuissent de liberatione? Is inde oritur, quod memoria repetunt, quid antehac ex Christo audierint. Audierant autem in concione in monte, Matth. 6. v. 30. *ὀλιγοπίστους* & exigua fide præditos parum differre à gentibus, qui nesciant, quod cælestis pater norit omnia quibus nos indigemus. Agnoscunt ergò se hac sua pusillanimitate

Nnn 2

mitate non parum deviasse à statu & conditione suæ vocationis. Dum ergò perpendunt hujus sui magistri majestatem, & infirmitatem suam, agnoscunt se indignos esse ipsius conversatione, atque sibi metuunt, ne amplius eum offendant. Revocant sibi in memoriam quanta fuerit fides Centurionis, qui publicè professus fuerit, se credere, Christum omnes creaturas sic in sua potestate habere, ut si saltem verbum dicat, mox obtemperent. Cumque Jesus hoc nomine Centurionem commendaret, dicens, se tantam fidem in Israel non invenisse, Matt. 8. v. 10. dubio procul tum malè habuit Petrum & reliquos, sibi Ethnicum Centurionem præponi: sed jam re ipsa experiuntur, Christum vera abesse: Metuunt ergò sibi, timentes, ne ipsis rejectis, Christus alios sibi surroget, cum ipsi adeò parum proficiant. 2. *Admirantur.* Hoc tum ad Apostolos, tum etiam ad reliquos *homines* (ut Matthæus eos vocat) qui una navigabant, referri potest. Nam debuerunt Apostoli habere etiam alios homines testes hujus miraculi. Et revera fuit opus admiratione dignum, quòd barbarum hoc & inhospitale Elementum mare, venti insuper & fluctus hujus hominis voci parent, & quod unico momento, præter morem consuetum, subita tranquillitas reducitur, cum modo lacus totus inanis procellis æstuaret. Agnoscunt ergò in ipso virtutem humana majorem, & dicunt: hic est vir, qui potest juvare, ac propterea ipsum in omni vita reveriti sunt, eique obtemperarunt. Utrique effectui etiam nos in animis nostris locum concedere debemus. 1. Ut metuamus, si quando nimia pusillanimitate hunc benignum & propitium Dominum offendimus. Cogitemus quam miseri & imbecilli homines simus, collati ad divinam omnipotentem ipsius majestatem. Infirmitates ergò nostras deprecemur, & caveamus ne ulterius oculos majestatis ipsius iritemus. 2. Admiremur etiam, agnoscamus & celebremus inexhaustam ipsius in juvando & liberando vim atque virtutem: & in primis illud, quod ventis quoque & aquæ imperat, atque hæc illi obediunt: Homines verò qui ad imaginem ipsius creati fuerant, & ratione præditi sunt, illud negligunt. Hoc considera tu homo, quisquis es, an non admiratione & stupore dignum sit, quod omnes etiam irracionales creaturæ creatori suo obedientiam præstant, solus autem homo id non facit? An non sanguineis guttis hoc deslendum erat? Instituit hac de re Deus, Jere. 5. v. 21. prolixam querelam. Audi popule stulte, qui non habes cor: qui habentes oculos, non videtis: & aures, & non auditis. Me ergò non timebitis, ait Dominus: & à facie mea non dolebitis? Qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum quod non præteribit, & commovebuntur, & non poterunt: & intumescunt fluctus ejus, & non transibunt illud. Populo autem huic factum est cor incredulum & exasperans, recesserunt & abierunt, & non dixerunt, metuamus Dominum Deum nostrum, &c. Scribit Suidas, Corinthi fuisse familiam, quæ potuerit ventos sopire, unde dicti fuerint ἀνεμοκλιται, hoc est, Ventisopii. Hæc familia magna fuit autoritatis, potissimum apud nautas. Quanto majoris hic esse debet apud omnes homines, cui militant orbis & æther?

Hæc fuit proba fidei apud Apostolos, ut tanto magis Præceptori & Domino suo obligarentur, si in seipsis etiam ipsius omnipotentiam & beneficentiam experirentur. Videbant indices quam plurimos ex gravissimis morbis liberari, & hos Domino Jesu obstrictos esse agnoscebant. Cum verò ipsi nec claudi essent, nec cæci, nec alio morbo correpti, tempestatem fieri permisit, ut ab eis liberati, manifestiorum beneficiorum ejus in se sensum haberent. Et quoniam post beneficium acceptum homines faciliè ejus oblivio ex negligentia capit (sicuti nullius rei citius obliviscimur, quam beneficiorum) propterea periculum tanto majus fieri permisit, ut priusquam miraculum fieret, Apostoli de salute penitus desperarent, quo diuturnior ejus memoria maneat. Nam ex periculorum sensu & confessione, beneficium etiam magnitudo perdiscitur. Atque hac de causa dormire voluit. Nam si ipso vigilante tempestas ingruisset, non tantopere timuissent, & maturius opem implorassent, quin & fluctuum sedationem non ipsi attribuissent. Nunc cum ipse dormit, & tantus est ipsorum metus, ut actum existiment: ipse verò excitatus unico verbulo plus proficit, quam ipsi peritissimi nautæ omnibus suis remis & velis, becce selemo stupidiores fuissent, nisi ipsius hoc opus esse agnovissent.

Postremò, solent etiam docti ex hac navicula Petri, qua Christus cum discipulis vehitur, desumere typum, in quo adumbratur conditio Ecclesiæ militantis in hoc mundo. I *Navicula Petri* non fuit tanti pretii & æstimationis, quantæ solent esse naves onerariæ, quæ in mari inventiuntur: siquidem fuit navis piscatoria, quam Petrus supra Matt. 4. v. 20. reliquit, ita tamen reliquit, ut non facta fuerit abalienatio proprietatis. Nam & hic ea utitur, & postea rursus utetur, quando Johan. 1. v. 3. collegis dicit: Vado piscari. Quia tamen eam deseruerat & rarò utebatur, absque dubio, ut fit, rimas agebat, hiabat, ventorum concussione convulsa videbatur. Hac navi Christus utitur. Ita Ecclesia in mundo non videtur magni pretii, si conferatur ad regna hujus mundi: sed est paupercula, derelicta, tempestate convulsa & absque consolatione, sicut Jesa. 54. v. 11. prolixè describitur. Et tamen Christo grata est & accepta. 2. In hac navi Christus colligit dilectos suos discipulos, & relicto superbo Scriba & ingrata Capernaumo pergit cum ipsis ad ulteriorem ripam. Ita Christus in Ecclesia colligit pios & fideles, hi præceptorem suum per mare hujus mundi sequuntur & comitantur, relictis & rejectis omnibus superbis & ingratis mundi cultoribus, versus portum æternæ patriæ. 3. Habet mare suos æstus naturales, juxta quorum vices fluit & refluit, atque sic per illud navigantibus molestias ac discrimina objicit. Hic verò accedit impulsor Satanas, qui habet potestatem aeris, Eph. 2. v. 2. in Gadarenorum regione præsentit hunc Dominum adventare, ut ipsum fortem armatum ex atrio suo expellat. Cumque mallet sua, semel occupata, in pace possidere, incircò hic impetuosos ventos, & procellosum turbinem excitat, eoque mare ab imis sedibus turbat, si fortè navim evertere, & præceptorem una cum discipulis submergere possit. Ita in hoc mundo impii natura sua ad malum sunt proclives, & pro-

prius

priis affectibus impulsus adversus se meliores facile tumultuantur, siquidem quasi mare fervens quiescere non possunt, Ies. 57. v. 20. Ac ferè hisce motibus se immiscet spiritus malignus, qui, quando videt Ecclesiam Christi in his terris propagari, & divina Spiritus sancti aura, ceu ventis secundis, in altum provehi, partim crudeles tyrannos, partim impostores Sophistas excitat, qui vel malis artibus Ecclesiam in sectas distrahunt, vel vi & armis funditus opprimere conantur. 4. Inprimis verò hoc facere satagit, quando Christum in navi dormire animadvertit. Hoc est, tum temporis Diabolus cum suis satellitibus vel maximè furit, quando nulla manifesta exempla divini iudicii aut vindicis ejus manus adversus impios extant, ita ut, quasi nulla Ecclesiae suae cura tangeretur, appareat. Ibi tum infernalis Leviathan profundum maris ferverescere facit, tanquam ollam, & ponit quasi cum unguenta bulliunt, Job. 41. v. 22. Exemplum hujusmodi tempestatum omnibus seculis extiterunt. Jactata est Ecclesia instar navis in originali mundo, cum impia Caini posteritas, & ex hac nati gigantes pios Dei filios infestant, & tandem in angustis arca Noachi parietes compulerunt. Post diluvium Nimrodi progenies non minus sanctos Patres variis modis exagitavit. Dehinc in Aegypto hæc navitantum non obruta fuit, usque dum Deus gemitibus & clamoribus populi sui expergefactus, eam per Moysen in pristinam libertatem asseruit. Postea in deserto, inter Canaanos, Amalecitas, Idumæos, Philistæos, & Ammonitas variè fluctuavit; donec tandem per Assyrios & Babylonios in universum Orientem dispersa perisse videbatur. In N. Testamento post Christi in cælos ascensum non fuit melior Ecclesiae ipsi fortuna. Nam sub Judæis & gentilibus, maximè sub Romanis imperatoribus primis, per annos 300. totos usque ad Constantini magni tempora, postea sub Mahumetico regno, & Pontificio, sub variis hæreticis & phanaticis persecutiones perpessa est sævissimas, & tumultus sustinuit maximos. 5. Causa verò, ob quam Christus Ecclesiam suam ita tentari patitur, inter alias potissimum hæc est, ut probatio fidei piorum multo pretiosior auro (quod per ignem probatur) inveniat in laudem & gloriam & honorem in revelatione Jesu Christi, 1. Petr. 1. v. 7. Quid enim infirmitatis etiam in verè credentibus lateat, ipsimet extra periculum constituti nec sciunt, nec agnoscunt, Nam in abundantia sua cum Davide dicunt, in Psal. 30. v. 7. Non movebor in æternum. At quando Dominus avertit faciem suam, tum conturbamur. Ideo idem David de se fatetur, Psal. 31. v. 23. Ego dixi in excessu mentis meae, Projectus sum à facie oculorum tuorum. Hinc etiam inter credentes, durantibus procellis persecutionum & turbis hæreticorum, oritur pusillanimitas, augetur formido & angustia, acuitur tentatio, & sæpenumero tragica illa vociferationes audiuntur: Perimus, perimus. Num tibi, o Christe, Ecclesia tua non amplius curæ est, quod eam perire sinis? O bone Jesu, vides hæc & patieris? In hujusmodi tamen infirmitatibus recolligat se fides Christiani hominis, & ad arduas confugiat preces, nihil dubitans, hæc plus apud Christum efficere, quam querulosas illas voces. Nam

Harm. Tom. I.

preces & lacrymæ, in hujusmodi turbis, sunt arma Ecclesiae. Et venustè admodum Tertullianus de sui temporis persecutionibus in suo Apologetico c. 39. dixit: Coimus in cætum & congregationem, ut Deum, quasi manu facta, preceationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est. 6. Christus autem fidelium precibus excitatus, turbas Ecclesiae sistit, pacem & tranquillitatem reducit. Idque ipsi per facile est, vel unico verbulo aut nutu efficere. Interdum tyrannum omnis mali autorem subito è medio tollit, ut Pharaonem, Exod. 14. v. 25. Interdum circulum injicit naribus ejus, hoc est, alia negotia objicit, ut viam illam redire cogatur, quam venerat, sicut Sennacheribo fecit, 4. Reg. 19. v. 28. Interdum alios aliis modis increpat, atque sic pacem Ecclesiae restituit. Quæ sanè ipsi multis de causis utilis & necessaria est: partim, ut extet testimonium, Christum curare suam Ecclesiam, & quod possit atque velit eam liberare ex periculis: partim, ut boni occasionem habeant docendi & propagandi doctrinam Christi apud infirmos, instituendi juventutem, & alia honesta officia ordinandi: partim ut improbi habeant exempla iudicii divini, cum videant subitos motus & tempestates ita componi, ut ipsimet obstupescant: partim denique, ut pii habeant prægustum aliquem gaudii & pacis coelestis. 7. Liberati ex turbis & adversitatibus Christum Dominum nostrum metuamus & stupenda ipsius opera miremur. Sic uti revera non minimum miraculum est, Ecclesiam, quæ instar naviculæ contemptæ & fatiscantis in hujus mundi pelago fluctuat, & gregem pusillum credentium vehit, inter tot piratarum triremes, & in medio luporum, inter horribiles persecutionum motus, & contra hostium potentissimorum conspirationes, in hunc usque diem servatam esse, & adhuc servari. Siquid verò à nobis durante concussione & cribratione bonorum, ex pusillanimitate in defectu fidei peccatum est, illud agnoscamus, apud Christum deprecemur, & cum Ezechia, qui & ipse in suo morbo nimis abjecto erat animo, dicamus: Recogitabo per omnes annos vitæ meæ hanc amaritudinem animæ meæ, & erubescam, Ies. 38. v. 17. Et ex liberatione semel facta etiam in posterum benè sperare incipiamus, atque cum Davide dicamus ex Psal. 46. vers. 1. Deus nobis refugium & robur est, adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis. Propterea nos timebimus, dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris. Fremant & limum agant omnes undæ ejus, contremiscant montes in elevatione ejus. Rivi tamen fluminis latificabunt civitatem Dei. Et cum Paulo Rom. 8. vers. 31. Si DEUS pro nobis, quis contra nos?

Pontificii etiam volunt videri, ac si hac imagine Ecclesiae delectarentur: iccirco non tantum elegantibus verbis, verum etiam splendidis picturis hanc naviculam exornare solent. In navi illa collocant Pontificem Romanum ad clavum, tanquam verum nauclerum: adduntur ipsi Cardinales & Episcopi, cum tota rafa & uncta cohorte, tanquam remiges. Nos, tanquam, hæreticos & piratas, ex navi exturbant, ut in aquis natemus, & ibi quidem ad tempus naviculari allatremus, sed tan-

N n n 3 dem

dem in mari pereamus. Sed quandoquidem sibi-
 ipsi in hac pictura tantopere placent, operæ præ-
 tium fecerint, si hæc tria nobis ad suam Ecclesiam
 applicent. 1. Qui fiat, cum navis nullo certo loco
 sit alligata, ut quæ totam æstatem hinc inde vage-
 tur, in hyeme autem jam hic jam illic suam statio-
 nem habeat, quod illi Ecclesiam urbi suæ Roma-
 næ ita præcisè alligent, ut qui hanc non Catholi-
 cam Ecclesiam agnoscat, simpliciter pro hæretico
 ab ipsis habeatur. Non aliter quam sicut olim Ju-
 dæi, Jer. 7. v. 4. Ecclesiam alligant ad suum tem-
 plum. Certè si Ecclesia Christi est instar navis, non
 potest perpetuo uni certo loco alligata esse: sicut
 nec unquam fuit. Sed Christus cum sua Ecclesia
 modo versus Orientem, modo versus Meridiem,
 modo versus Occasum, & hisce postremis tempo-
 ribus versus Septentrionem navigavit. Nam Ec-
 clesia est coetus sanctorum, per totum orbem di-
 sperfus: qui tamen illic invenitur, ubi Christus est,
 cum suis discipulis, cum suo Verbo & Sacramen-
 tis. Ad hæc enim & non ad certum locum Ecce-
 siam suam alligavit. Johan. 10. v. 27. Oves meæ vo-
 cem meam audiunt, & sequuntur me. Apoc. 14. v.
 4. sequuntur agnum, quocunque ierit. 2. Qui fiat,
 quod præterea sibi gratulentur, penes se esse Ec-
 clesiam Christi, quia apud ipsos sit catholicus con-
 sensus, nullæ hæreses, nulla schismata, nullæ con-
 tentiones, sed omnes unanimiter in Papam con-
 spirent: Cum tamen hic navicula Christi nobis ita
 ob oculos proponatur, quæ ventorum & fluctuum
 motibus variè infestetur, & procellosis turbinibus
 tantum non obruatur. Certè impossibile est, ut
 Ecclesia Christi, quamdiu in hoc mundo versa-
 tur, in tanta tranquillitate inveniat, quantam
 Pontificii sibi suisque pollicentur. Nam Christus
 dicit Johan. 15. v. 19. Si de mundo essetis, mundus
 quod suum erat diligeret: quia verò de mundo
 non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea
 odit vos mundus. Si tranquillitas & consensus con-
 stituunt naviculam Christi, æque apud Judæos vel
 Turcas eam reperire liceret, ac apud Pontificios:
 quia etiam apud illos magna est tranquillitas, &
 summus inter ipsos consensus. Quod autem inve-

ra Ecclesia facilè turbæ exoriuntur, illud non sit
 culpa fidelium verbi ministrorum, vel ipsius Ec-
 clesiæ, sed diaboli & mundi, qui adversus Chri-
 stum & ejus Ecclesiam inde ab initio conspira-
 runt. Equidem quam diu remiges desident, occi-
 antur, aut aliud agunt (sicuti tempore Papatus fa-
 ctum fuit) mundus quiescit, & est aliqua tranqui-
 litas: sed quamprimum incipiunt mare sulcare &
 mundum remis suis percutere, mox ille turbatur
 & fervet. Atque hinc sunt illæ turbæ cum contra
 Ecclesiam, tum in Ecclesia. 3. Qua conscientia pos-
 sunt Christum, contra verbum promissionis suæ,
 Matt. ult. vult, à navicula sua remove, ipsique
 alium nauclerum, Pontificem Romanum substitui-
 ere? Præterunt quidem hunc esse successorem
 Petri, cui à Christo demandatum fuerit, ut pascat
 oves suas, Johan. 21. v. 17. huic traditas claves regni
 cælorum, Matt. 16. v. 19. pro hoc Christum orasse,
 Luc. 22. v. 32. super hunc Petrum eum Ecclesiam
 suam ædificasse. Sed ô utilitas! Christus solus est
 nauclerus hujus naviculæ: qui non tantum Petrum,
 sed & omnes Apostolos vocavit: non tantum ipsi,
 sed omnibus Apostolis dedit potestatem ligandi
 & solvendi, Johan. 20. v. 23. non tantum pro Petro,
 sed pro omnibus oravit, Johan. 17. v. 20. & Ecce-
 siam suam non super personam Petri, sed super
 ejus confessionem, & super doctrinam Apostolo-
 rum & Prophetarum, super ædificavit, Eph. 2. v. 20.
 & adhuc hodie de Ecclesia sua sollicitus, dat fideles
 pastores, ad consummationem sanctorum, in
 opus ministerii, Eph. 4. v. 12. Christus ergo est qui
 curat hanc suam naviculam, Petrus unus est ex re-
 migibus: Iccircò vocat seipsum in Epist. c. 5. v. 1.
 συμπαρονοῦντες, unum ex reliquo presbyterorum
 numero, & ad Galat. 2. v. 9. Paulo dextram de-
 dit societatis in gentes, sicut ipse in circumcisio-
 nem. Magna ergo est temeritas statuere Christum
 deseruisse suam Ecclesiam: dormit is quidem, &
 naviculam mergi patitur, sed non submergetur,
 quin potius evigilans Antichristum percutiet spi-
 ritu oris sui, & destruet eum illustratione
 adventus. 2. Thessal. 2.
 vers. 8.

CAPUT LXV.

CONTINENS ACTA CHRISTI IN TERRA

GER GESE NORUM, MATT. 8. MARC. 5.

LUC. 8.

RATIO ODRINIS.



Consentiant omnes tres Evangeli-
 stæ uno ore, hanc historiam
 secutam esse mox post præce-
 dentem transfretationem. Et
 quia in superioribus demonstra-
 tum est, transfretationem istam à tribus Evan-
 gelistis descriptam, esse unam & eandem: jam
 quoque manifestum est, quis huic historię

locus sit tribuendus in Harmonia. Sed hic
 denuo occurrendum est iis, qui conantur
 similiter probare, duas esse diversas expul-
 siones dæmonum in porcos. Rationes sunt
 multæ: quarum eam, quæ videtur urgere gra-
 vissimè, de diversis scilicet regionibus Gerge-
 senorum, ubi Matthæus dicit suos dæmoniacos sa-
 natos, & Gadarenorum, ubi Marcus & Lucas di-
 cunt